

Arcturum, pluviasque Hyadas, geminosque Triones.
 & præter hos alios itidem radiantes & non radiantes DEOS, de quibus *Apulejus* & *Vossius* passim *lib. 1. de Orig. Idolol.* An secundum *Cluverii* opinionem *l. 1. German. antiq. c. 29.* prisca Germani unum verum, æternum DEUM in Trinitate sub Solis, Lunæ atque Ignis numinibus coluerint? æquè dubitamus, ac de Pervanis tres summos DEOS, Viracocham, Solem & Tonitru colentibus *Josephus Acoſta l. 5. rer. occident. Indiæ cap. 4. apud Vossium*, Hinc, si his & talibus, quorum adhuc innumeri ferè sunt, omnia plena sunt, ut dictum. **Θ. 3.** motus omnium commodè fieri poterit, licet unus in cœlum elevetur DEUS, ibidemque circumscribatur, quum tot moventia, præter istum, passim in his sublunaribus supersint. Et sic plerosque Ethnicorum sensisse, autorem habemus *Maximum Tyrium Dissert. 1. ut citat H. Grotius*; qui postquam multa de Discordiâ & Discrepantiâ circa hunc articulum dixisset, tandem concludit, quòd sit *εἷς Θεὸς πάντων βασιλεὺς καὶ πατὴρ, καὶ Θεοὶ πολλοὶ, Θεῶν παῖδες, &c.* & post hæc: *ταῦτα ὁ Ἕλληνας λέγει, καὶ ὁ Βάρβαρος λέγει, καὶ ὁ σοφὸς καὶ ὁ ἄσοφος.*

Θ. 9. *Dico*: Quamvis Aristoteles ab Apostolo in eo dissideat, quòd Lumine gratiæ destitutus, eousque, ceu Apostolus, non penetraverit, in hoc tamen proximè ad Orthodoxiam accessit, quia ipsi credita non fuit, nisi nominatenus tantum, *πολυθεότης*. Si Textum petis, habe expressum *cap. 7. de Mundo*, ubi, postquam *cap. 6.* multa DEO tribuisset, sic *vii.* incipit: *Ἐἷς δὲ ὢν, πολυώνυμος ἔστι, κατῳνομαζόμενος τοῖς πάθεσι πάντων, ἅπερ αὐτὸς νεοχμεῖ.* *Seneca* hic citandus est, qui *lib. 4. de Benefic. c. 7.* quoties volens, dicit, tibi licet aliter hunc Autorem rerum nostrarum compellare. Tot appellationes ejus possunt esse, quot munera. Hunc & Liberum Patrem, & Herculem ac Mercurium nostri putant. Sic hunc Naturam vocat, Fatum, Fortunam: omnia ejusdem DEI nomina sunt, variè utentis suâ potestate. Atque hanc potissimorum Ethnicorum opinionem fuisse passim documenta occurrunt, quæ omnia hic notari nec possunt, nec debent; multa ex multis citata offenduntur apud *Ger. Io. Vossium Lib. 1. de Orig. & Progressu Idololat.* Huc illud Carmen:

Πλάτων, Περσεφόνη, Δημήτηρ, Κύπρις, Ἐρωτις,
 Τεΐτωνες, Νηρεὺς Τηθύς καὶ Κυανοχαίτης,

Ἐρμῆς